

tur, hanc, aut illam inflexionem vocis, quando utraque probatos *Scrapis.* apud Authores obtinet, fundamentum sufficiens non præbere, Epigraphen aliquam plano sensu suo tam libere dejiciendi, maxime, quando sententia, quæ nova ex ingenio supponitur, exiguo numero suo tortam se magis, quam fluentem demonstrat. Conjunctionem deinde vocum *Sancto Deo* paganis extra usum non fuisse, demonstrat utique Numus *Antonini Varii* cum epigraphe: *Sancto Deo Soli Elagabalo*: quam sane non alii, ac idololatræ, conceperunt. Demum apud Cl. Patinum p. 384. cæteros inter *Juliani* Numos Fluvius, qui certe *Nilus* est, Urnæ suæ tertium incumbit, Cornucopiæ gestans, eodem ubique cum lemmate, quod est in pluribus ibidem aliis Numis, meros Deos Aegyptios redhibentibus, nimirum: VOTA PUBLICA. Nullibi tamen Crocodilum, aut Hypopotamum videas. Nihil igitur tantopere ab hac Sphynge Harduiniana pertimiscendum. PUBL. Cui saltare liber, is cito fides audit: & cui in Adversum ire undique proclive est, ei minimus asserculus pro ponte cubat. Sed libera Gens Eruditi, quibus non facile Dictatorem te statuas.

DIALOGUS XXXIV.

De Cybele Matre Deûm, ac Ifide,
seu Diana Ephesia.

TULLIUS.

TAndem Deas quoque tecum expendere licet: in quarum prope omnium formis, juxta Dominum *Pluche*, una *Isis* Aegyptia prodit. Ut namque *Osiris* nihil aliud fuit, quam Sol, & Natura fœcundans: ita *Isis* nihil aliud erat, nisi Natura pariens, & Luna: cujus officium triplex esse

esse credebatur. Primum, quod novo quolibet ortu suo præscriberet ordinem Fæstorum, quæ semper Neomeniis recurrentibus fiebant. Deinde, quod incremento, ac decremento suo doceret, agros, hortos, fruges, & olera, suo omnia tempore, utiliter conferre, plantare, colligere. Tandem, quod in fluxu suo calorem Solis temperans, ac virtute sua penetrans terram, ubertatem frugum ipsa quoque maxime procuraret, atque efficeret. Hinc erat in Cælo Regina, Directrix, & Magistra rerum gerendarum: in Terra vero Mater magna, Genetrix, & Nutrix. Hæc ejus diversa munera cum solius Lunæ perpetua imagine bicorni non satis ad captum plebium exprimi possent, placuit, eam imagine Fœminæ proponere: cui pro varietate præsignandorum, alia, & alia symbola, immo & Nomina tribui possent. Nunc in *Cybele* sumus: cujus proinde figuram peculiariter explorabimus.

II. Prima inter Signa Aegyptia, necdum idololatriæ delirio infecta, *Isis*, quando naturam parientem, Terramque Genetricem repræsentare debuerat, Coronæ loco Turres aliquot in capite gestabat: quoniam Terra, quæ super eam sunt omnia, sustentat. Proposita singulis Neomeniis, quibus Festa Deo fuerant agenda, exhibebatur cum cymbalo, vel crotalo, instrumento Musico, & laudum Deo decantandarum symbolo: item cum illo animali cælesti, quod eo mense in Zodiaco prodibat. Addebantur subinde ad ejus ornatum, immo & luculentius populi documentum, fœtus animalium illorum, aut frugum illarum primitiæ, pro quibus eo mense a Dei benignitate perceptis, grates essent referendæ, aut pro percipi solitis porrigendæ adhuc præces.

III. Simplicia fuerant hæc Simulacra, & aptissima plebi docendæ, quoniam rebus constabant in vulgus notissimis. Erant & innocentia, atque ab omni superstitione penitus remota. Sed postquam *Isis* commigravit in Deam: commentorum, ac transfigurationum ejusdem nullus erat finis. Præ omnibus eam Phrygii coluerunt, tanquam apud se natam, expositam vero in *Cybele* monte, & a pardis, ac leonibus nutritam. Quamquam alii eam Cæli Terræque filiam fecerint, & Saturno dederint Conjugem, ut ex ea Matrem Deum fabricarent. Nomina in eam conlata fuere, *Cybele*, *Dea Phrygia*, *Berecynthia*, *Ops*, *Mater Idea*, *Mater Deum*,

Deum, & Mater Magna. Imaginibus ejusdem diversissimis, ac elegantissimis, itemque Numis, Celeberr. *Montifoonius* Tomi sui I. quinque omnino Tabulas priores opplevit.

PUBL. Primus, qui eam exhibet, Numus, Tabulæ tuæ
VI. decimus Septimus, eam turritam sistit, inequitantem Leoni,
dextra cymbalum rotundum sustinentem, cum præconio: MA-
TRI DEUM SALUTARI. Infra: S. C. Alter insequens eam
rursus turritam pingit cum cymbalo, in sella reclinatoria confi-
dentem inter duos Leones. Epigraphe: MATRI MAGNAE.
Infra: S. C. *TULL.* Prior æris magni est *Juliae Severi*, posterior
Lucilla, uterque apud Ill. *Spanhemium* M. p. 291. apud quem &
grandes alii Numi reperiuntur utriusque *Fausinae*, ejusdemque *Lu-*
cilla: nam Dæ Augustarum cum primis in Numis expressæ fue-
runt. In aliquo eorum *Cybele* sedet in vestibulo Templi, porti-
cibus, columnis, ac gradibus ornati: in cæteris præter cymba-
lum, etiam Sceptrum, ac papavera, vel aliam plantam secum
defert, leonibus autem semper stipatur: quod animal cæteris
omnibus, ut robore, sic & potentia quasi Regia præit. Alii in
Numis *Cybele* sibi conjunctas habet faces Vestæ, spicas Cereris,
Cornuacopiæ, immo & caduceum Serpentinum. Frequenter cur-
ru vehitur a leonibus duobus, vel quatuor. Subinde portat ca-
lathum frugum in capite: humeris insident, totaque in veste
pinguntur omnis generis animantia, itemque fruges, luculento
testimonio, has cunctas imagines ex vetustissimis *Isidis* Aegyptia-
cæ Signis esse desumptas.

Longum foret, omnes hujusmodi Numos peculiariter alle-
gare. Sufficiat unicus, mysticum *Cybeles* currum redhibens in æ-
re medio *Caracallæ* apud Cl. *Patinum* p. 238. Comparet in eo
carpentum cum rotis, absque præjunctis animalibus. Desuper
sub ædicula, fulcris quatuor trabeata, quasi Protome quædam cer-
nitur: ubi tamen capitis locum occupat orbiculus vacuus, radiis
fulgens: pro pectore lapis est bifidus acuminatus. Cudebant
hunc Numum Sidonii. Nempe, cum *Livio* teste, Romanos per-
urisset Bellum Punicum secundum, & Sibyllinis e Libris vulga-
tum esset, hostes vinci posse, si *Mater Idea* Pessinunte, quæ in Phry-
gia est, in urbem adveheretur: submissis Legatis tradebatur Sa-
cer

IV.
TAB. VI.
N. XVII.
& XVIII.

V.

Libr.
XXIX.
cap. XI.

cer Lapis, quem incolæ dixerunt *Matrem Deum*. Hic Romæ in ædem *Victoriæ* illatus, perennem cultum, & *Ludos*, *Megalesia* dictos, accepit.

VI. Cæterum *Cybelen* his præconiis magnifice sua opinione *Virgilius* extulit :

Aeneid.
VI. 748.

- - - - qualis *Berecynthia Mater*
Invehitur curru *Phrygiæ* turrata per *Urbes*,
Læta Deum partu, centum complexa *Nepotes*.

Nec minus de eadem gloriose *Lucretius* cecinisse sibi videbatur :

Libr. II.
v. 598.

Quare magna *Deum Mater*, *Materque ferarum*,
Et nostri *Genetrix* hæc dicta est *Corporis una*.

Cum porro pro *Luna* coleretur, quæ in defectu suo se cælo quasi subducit, & sub terram recondit, captata est occasio, ex ea pariter *Proserpinam*, *Inferorum Reginam* fabricandi. Hinc, quemadmodum solitum erat inter pia pro mortuis vota præcari : *Sit tibi terra levis* : & in execratione : *Sit tibi terra gravis* : ita pariter invaluit formula : *Cybelen iratam sibi, & infestam sentire*, i. e. modis omnibus in mortem impelli, & ad inferos detrudi.

VII.
In *Asino*
Libr. XI.

Comittere autem non possum, quin, ad confirmandam *Domini Pluche* sententiam, *Apuleio* verbum hic cedam, sic de *Iside* loquenti : „ Me primigenii *Phryges Pessinuntiam* nominant, *Deum* Matrem : hinc *Autochthones Attici Cecropiam Minervam* : illic fluctuantes *Cyprii Paphiam Venerem* : *Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam* : *Siculi trilingues stygiam Proserpinam* : *E-leusinii vetustam Deam Cererem* : *Junonem* alii : alii *Bellonam* : alii *Hecaten, Rhamnustam* alii : & qui nascentis *Dei Solis* inchoantibus radiis illustrantur *Æthiopes*, *Arriique*, priscaque doctrina pollentes *Aegyptii*, ceremoniis me prorsus propriis percolentes, appellant vero nomine *Reginam Isidem*. „ Multum vidit hic *Scriptor Seculi II.* di, scilicet, una ex *Iside* natas esse omnes

nes propemodum Deas : in ima tamen primorum Signorum Aegyptiorum innocentium penetrare , soli haecenus *Pluchio* concessum.

PUBL. Magis peregrinae sunt figurae Numi duo postremi , VIII. quibus hanc Tabulam clausisti. Redhibet enim prior figuram TAB.VI. femineam nudam , a pectore deorsum usque ad pedes angustissime constrictam , & meris uberibus , aut mammis compositam. N. XIX. Extenta brachia veribus , aut baculis fulcit. In capite calathum gestat , e quo utrinque multis quasi rivulis , vel guttularis roris , aut pluviae , vel potius mera semina sparsa , in terram delabuntur. Epigraphae graeca , maximam partem exesa , sic inchoat : ACTYPHNE - - - In altero par est figura , sed hoc cum discrimine , quod calathus in capite videatur frugibus oppletus , aut plantis , N. XX. ex quo cornua bovina descendunt : imber aut feminum defluxus abest : mammae ultra pectus imum non descendunt , post quas inchoat fascia , deorsum semper constrictior. Fulcris haec figuraeque sustentatur : intra quae vero ad imum ejus Cervi duo , tergoribus oppositis consistunt. Ex legenda , similiter attrita , nihil restat , praeterquam in summo : APXIEP - - -

TULL. Ambos hos Numos aereos medios protulit Cl. *Patinus*. Priorem p. 181. inter Numos *Antonini Pii* , nescius vero ob epigraphen imperfectam , quali ab Urbe Asiae minoris fuerit signatus. Posteriores longe rariorem , quippe in Adversa cum Capitibus Triumvirorum , scilicet *M. Antonii* , *Lepidi* , ac *Caesaris* , p. 15. Ex residua voce imperfecta APXIEP colligit , hunc Numum ab ipso summo Templi Ephesii Sacerdote cusum fuisse , cum imagine *Dianae Ephesiae* , dictae *Multimammiae* : quam verissime conjecit fuisse *Isidem Aegyptiam*. Quando etenim haec juxta *D. Pluche* , ad Festum Neomeniae fuit exposita , post messem peractam agendum , cum pluribus , vel paucioribus uberum ordinibus , quae forent fertilitatis tessera , pro majori minorique frugum abundantia pingebatur. Ut , si populus eam quasi meris uberibus constare videret , in grates , laudesque , Deo cum tanto majori fervore pietatis dicendas , incitaretur. Quocirca Signa prima Aegyptiaca Religionis exercendae planissima quaedam Concio , absque

voce, aut litera ulla, exstiterant. Multimammia hæc *Isis*, maxime cum superabundans esset messis, dicebatur *Cepel*, i. e. *Gemina*: unde sine dubio *Cybele* factum, quæ & ipsa ex *Iside* prognata fuit.

X.

Quod in priori Numo ex calatho ros, aut pluvia, vel femina ubertim defluant in terram, idem denotat, quod Uberum copia. Ut enim hæc lacte, sic cælum rore, ac pluvia terram, feminibus fœcundam, & fruges omnes enutrit. Fascia Numi alterius, in majoribus hujus Deæ Signis, quibus pulcherrimis *Montfoconius* Tomi I. Part. I. Tabulam 93. tresque sequentes oneravit, omnis generis animantibus, quasi prolibus magnæ hujus Matris, adornatur. Fulcra videntur ad hujus Idoli, quale id *Ephesi* fictum erat, figuram necessario requisita: ut videlicet imago, arctissime in imo constricta consistere posset. Quandoque tamen fulcra ista formam referunt elegantium candelaborum. Cervi deum posteriore in Numo additi sunt, ut *Ephesia Diana* demonstraretur eadem esse cum *Latonia*, sive altera *Diana Venatrice*, de qua inferius agemus: licet hanc finxerint fuisse Virginem perpetuam, cum e converso *Ephesia*, ut magna Mater, Nutrixque communis viventium omnium exhibeatur.

XI.

Peculiaris est Numus magnus *Cumaorum* Primariorum in *Aeolia* sub *Aelio Hermia Prytane*, i. e. Summo Magistratu eorum, apud Ill. Spanhemium I. p. 702. Ibi *Diana* multimammia stat, imposito capiti calatho, ex quo ab utraque parte defluit velum usque ad manus ejus extentas: quæ vero non innituntur fulcris, sed geminorum Cervorum, sibi tergis oppositorum, capitibus. In alio aris medii Numo *Caracalla* apud Cl. Patinum p. 248. stat *Ephesia Diana* cum calatho in capite, descendentibus cornibus: dextra elata calathum quasi ostendit, læva gestat parvulum caput cervinum. Est porro hæc figura integra, feminuda, non multimammia, neque constricta, vel involuta: cujus ad pedes gemini tauri consistunt. Alii Numi rursus alia forma illam exhibent, mysterio tamen undique pari. Apud *Montfoconium* Signa hujus Deæ supra laudata, undique fere sunt capite turrato, quemadmodum *Cybele*: cum qua nimirum *Diana Ephesia* eadem fuit.

Cl.

Cl. *Harduinus* e *Seguino* pinxit Numum argenteum *Trajani* : XII.
 quem vero juxta expolitionem illius non accipit. Adversa circa
 Caput laureatum habet : IMP. CAES. NERVAE TRAJANO In Plin. suo Tab. III. n. 13. ad Tomi I. pag. 210
 OPTIMO AUG. GER. DAC. PARTH. *ico*. In Aversa fœmi-
 na feminuda rupi asperæ insidet , dextra vel sceptrum , vel te-
 lum , aut ramusculum , sive caulem , seu quidpiam demum ægre
 discernendum præferens , lævo brachio gestans infantem : ante,
 retroque rupem vadit miles armatus. Epigraphe supra ΔΙΚΤΙ-
 ΝΑ : infra : ΚΡΗΤ. Credebant alii , nec multum ambigebant ,
 hanc fœminam esse *Dianam Cretensium* , appellatam *Dichtynnam*. Fin-
 gebatur quippe , juxta *Lactantium* , fuisse Puellam , *Diana* sacram,
 nomine *Britomartim* , venationi unicè addictam : quæ , cum eam
 aliquando Rex Minos , in Sylvis deprehensam , vehementer ad
 flagitium inducere vellet , ex rupe in mare se præcipitem dederit ,
 a piscatoribus autem Cretensibus , intra retia eorum conclusa , sive
 viva , sive mortua , præter expectationem fuerit extracta. Cum
 porro Retia græce apellarentur *δίκτυα* , inde Puella vocabatur *Δικ-
 τυρία* : atque , dum Creta insula peste correpta esset , oraculo tra-
 debatur , persanandam eam non fore , nisi *Diana* Templum sub
 nomine *Dichtynna* consecraret.

Nihil ad hæc attendit *Harduinus* , ajens , hunc opinandi er-
 rorem non facere jus , quamvis communis existat. Milites hic XIII.
 non esse Curetes , i. e. Cretenses incolas , nec Pyrrhicam , scilicet
 armatam eorum saltationem exhiberi , quam faciebant , ne Sa-
 turnus audiret Jovis infantis , voracitati suæ subtracti , vagitus :
 quod alias Cretensium in Numis occurrit. Nec etiam in seg-
 mento Numi vocem imperfectam ΚΡΗΤ. indicare *Cretam* : alio-
 quin certe integre scribendum fuisse : ΚΡΗΤΗ. Quare *Trajanum*
 cum primis respiciens , cujus est hic Numus , & petram asperam ,
 de Arabia cogitavit , quam Imperator iste bis devicit : & ubi No-
 madum regio est , in qua vagæ cum Viris mulieres infantes suos
 circumgestare undique solent. Putat ergo hic sedere fœminam
Nomadam cum prole sua : Milites ambos designare credit gemi-
 nam *Trajani* Expeditionem Arabicam , quarum prima eam , ut
 Numi scribunt , adquisivit , altera plane cepit. Quid mulier in
 dex-


dextra gerat, non divinavit: potuisset forsitan calamum thuris dicere, quem alias Arabia gestat, & quo ditissima est.

XIV.

Ingenium porro totum in epigraphen, suum ad scopum detorquendam, impendit. Infit proinde, vocem *Diclynnna* græcolatinam, singulari artificis acumine selectam esse ad construendam, quam volebat, sententiam, qua nimirum prædicaret, *Trajanum* Arabiam bis vicisse. Non quadrasse ipsi latinam voculam *bis*: ideo græcam *dis* quæ idem dicit, prælegisse. His præmissis vocem ΔΙΚΤΥΝΝΑ ita resolvit: ΔΙ. ε. Κ. αἰσαρ Τ. γαιανός. Τ. πέραιζε NN, *quadas* A. γαβίαις: i. e. *Bis Caesar Trajanus subiecit Nomadas Arabia.* Vocem ΚΡΗΤ, infra scriptam ita resolvit: Κ. γάρτισος Ρ. ωμαίων Η. γερμάν Τ. γαιανός i. e. *Fortissimus Romanorum Imperator Trajanus.*

XV.

Hæc porro Nomina si copulata fuissent anterioribus, *bis subiecit Nomadas Arabia*, perfecto sensu facilius persuasissent lectionem Cl. *Harduini*. Sed nomen Imperatoris, jam semel in Adversa lectum, iterum, ac tertium in Aversa recurrere forte pluribus vitio superfluitatis laborate videbitur. Nec facile apparet, cur non potius Arabiam ipsam, quam fœminam Nomadem, hic pingi convenisset, quemadmodum in alio Numo, ubi est, *Arabia acquisita*. Demum de præconio tam ænigmatico, quod vix deprehendi a quopiam possit, affirmare liceat illud Philosophi, obscurissimum Librum cum fastidio abjicientis, ac stomachantis: *Si non vis intelligi, non debes legi.* Ego cum pluribus erranti facilius indulgendum reor, quam, absque certa tutaque ratione, singulariter sapere contendenti.



DIA.